

5
6
7
8
9
10
11



(mit Widmung)
Σὺν Θεῷ.

Pa. J. 19 VIII.
Pub. II. num. 10.

DISSERTATIO INAUGURALIS
JURIDICA.

Ad Tit. Cod. LXIII. XII.

DE

PRIMIPILO,

QUAM

SUB

PRÆSIDIO DIVINI NUMINIS

EX

DECRETO ET AUTHORITY

MAGNIFICI ET AMPLISSIMI

JCTORUM ORDINIS IN ILLU-

STRI ARGENTORATENSIIUM
UNIVERSITATE.

PRO

LICENTIA



17/152

Summos in utroq; Jure Honores

& Privilegia DOCTORALIA


legitimè consequendi.

Publico Eruditorum Examine sistit,

JOHANNES REGULUS VILLINGER.

ULMENSIS.

Die 13. Junij.



ARGENTORATI,

Typis JOSIÆ STÆDELII, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI,

Anno M DC LXXIV.

1674, 15b

16



VIRIS
GENEROSIS, PEROUAM
STRENUIS, MAGNIFICIS, NO-
BILISSIMIS, AMPLISSIMIS, PRU-
DENTISSIMISQUE,

DOMINIS DUUMVI-
RIS, CONSVLIBVS, ET
SENATORIBUS INCLUTÆ
REIPUBLICÆ ULMENSIS.

PATRIÆ PATRIBUS VIGILAN-
TISSIMIS,
DOMINIS,
FAUTORIBUS,
&
COGNATIS.

Æternùm colendis, venerandis,

Disputationem hanc Inauguralem
reverenter & officiosè inscribit

AUTHOR.



L. N. D. N. I. C.

THESIS I.



Uis Primipilus sit, & quod Eius
 Officium, magna inter JurisConsultos tam
 antiquos quàm modernos agitur quæstio?
 Hinc Christinæus (a) Pyrrhum Angleber-
 mæum aliquando dixisse refert, se audivisse
 Doctissimos Viros negantes se unquam intellexisse quis Pri-
 mipilus hic fuerit; Sequè à quodam Eruditissimo Senato-
 re percepisse, istam dictionem ex Italicâ militum disciplinâ
 esse explicandam. In cujus tamen explicatione Doctores
 sibi met ipsis constare non videntur, nam à Pilo, quod fer-
 rum triangulum erat, & arte ac virtute directum scutatos pe-
 dites & loricated equites sæpè transverberabat, Primipilum
 derivari nonnulli tradunt, ita, ut Primipilus sit is qui in bel-
 lo ferebat prima pila sive tela, cuius milites primipilares di-
 cebantur & summo in honore habebantur; magno siqui-
 dem honori ducebatur primæ Exercitûs parti præesse, undè
 eâ de causâ inter maximos belli Duces ad necem usque non-
 nunquam decertatum fuit. Verùm cum hæc derivatio pri-
 mipili, Eius officio & Administrationi non quadret, & Le-
 ges Codicis quas explicandas mihi sumsi, magis circa primi-
 A pili

(a) Vol. V. decis. 171. n. 4.

2.
pili Administrationem quàm Eius Dignitatem sint occupatæ,
hæc tanquam relata (b) refero, atque suo loco relinquo.

(b) Perez: in Cod. tit. de Primipilo.
Calepin: in voc. Pilum. Lucas de Penna: ad rubr. Cod.
de Primipilo. Vegetius de re militari: Lib. I. cap. 20. &
Lib. II. c. 15.
Covarruvias Var. Resol. Lib. I. c. 16. n. 7.

Th. II.

Circa Primipili officium mirè quoque Doctores va-
riant, quidam enim in administratione pecuniæ militaris
eum fuisse occupatum tradunt, alii verò militarem anno-
nam Eidem fuisse commissam docent. Pro administratio-
ne pecuniæ militaris adsunt Leges (c) & authoritates Do-
ctorum (d) Primipilarius conservabat dimidium totius sti-
pendii omnium militum apud signa vel merita & commo-
dâ velut Caput. Hinc Calvinus (e) Illud, inquit, ab antiquis
divinitus institutum legimus, ut ex donativo quod milites
consequantur, dimidia pars apud signa sequestraretur, i-
psisque servaretur militibus, quò interim annonâ publicâ
suffentati, eorum fieret locupletius castrensè peculium,
scientesque fortunarum suarum partem apud signa deposi-
tam, de deserendo non facillè cogitarent. Hujus æris mi-
litaris Cura ad primipilarem pertinebat, simul atque pecu-
niæ publicæ & stipendiorum militum, ut ea pro cuiusque
meritis, primipilaris (quem cum veteranus miles ad id mu-
nus semper eligeretur, verisimile fuit singulorum militum
virtutem perspicuè novissè) distribueret. Horum omni-
um

(c) L. Officiales 4. & 27. C. de Episc. & Cler. L. I. C. de priv.
fisci. L. 23. de adim. Legat.

Lucas de Penna Cod. h. tit. Vegetius cit. loc.

(d) Petr. Barbosa. Part. 7. L. I. sol. matrim. num. 3.

(e) in Lexico.

rum rationem reddere eum Cæsari oportebat, ex quâ si debitor Reipublicæ supererat, voluit Lex publicis favens necessitatibus (f) ob recepta militum stipendia & æs militare, quod omne apud se primipilarem habuisse ambigendum non est, obnoxia esse tam dotalia Uxoris bona, quam filiorum facultates, tametsi patris hæredes non extitissent.

Is est primipilus aut primipilaris qui Legionis Caput est & Princeps, qui hostem primò aggreditur eamque habet auctoritatem, ut militibus stipendia distribuatur pro meritis, & pecunias bellicas habeat, nec à quæstore bellico, ut in Galliâ fit, accipiat stipendia, sed omnium militum stipendia apud se habeat & distribuatur. (g). Primipilatus est majus officium Principis, & credo quod intelligatur de generali Thesaurario Principis in cujus bursam omnes reditus principis incurrunt inquit Capycius (h).

(f) Salmuth. ad Panciroll. res de per. tit. 53. p. 281. Cöperii Disp. de Cred. in concursu præferentiâ. Part. I. sect. 4. th. 10.

(g) Christinaus V. decis. 171. n. 4. seqq. Baldus ad L. satis notum. 4. C. in quib. caus. pign. vel hyp. tac. contrah. (h) Decis. 129. in 3. dub.

Th. III.

Primipilo Annonam militarem fuisse commissam, ut eam inter milites per capita distribuere, docent Imperatorum Constitutiones & Jurisconsultorum Responsa, ad quæ si animadvertimus inveniemus, apud hos illum primipilum nuncupari, qui administrationem & Curam militaris annonæ habebat (i).

A 2

Idque

(i) L. Officiales. 4. C. de Episc. & Cler. L. 3. C. h. tit. L. speciebus. 8. C. de Cohortal. L. 1. C. de priv. fisci. imprimis. L. 3. 7. & 8. C. de Cohortal.

Idque non obscure colligitur ex L. 6. Cod. Theodos. tit. 4. dum ait; *Primipilaribus dum ad pascendos milites ad limitem solenniter destinantur*, & ex Theodoro Hermopolites Græco Juris Interprete (k) qui primipilum definit, esse Annonam quæ datur primipili Centurionibus ut inter milites distribuatur; Est *πριμιπιλον ἢ στρατιωτικὴ ἄννονα* quod ab origine præmissâ deductum fuisse ex eo apparet, quod cum in Legione primus esset primipilus, totiusq; Legionis comoda consequeretur, militarem quoque Annonam per capita militum dividebat, inde igitur factum est, ut *militaris Annona primipilus dicta fuerit* (l).

(k) Lib. 9. tit. 9. (l) Alciatus C. h. tit. Covarruvias. Var. Resol. Lib. 1. c. 16. n. 7. Cujacius in L. 3. C. de Cohortal. & in tit. C. in quib. caus. pign. tac. contrah.

(l) Franc. Munnoz ab Escobar. Tract. de ratiocin. Adminstr. c. 39. n. 9. Coraf. Lib. 5. miscell. c. 4. Alex. ab Alex. dier. genial. Lib. 1. c. 5. Joh. Bolognetus ad L. 1. & sol. matrim. Barbosa. part. 7. L. 1. n. 2. Veget. Lib. 2. c. 9. *Conveniunt Authores Thesauri Ling. Lat. in verbis primipilus. & Lex. Jurid.*

Th. IV.

His ita præmissis, eundem cum Cujacio (m) & Donello (n) hunc in modum describimus, quod scilicet Primipilus sit is, qui militari Annonæ curandæ præpositus est; Vel qui curam habet annonæ inter milites dividendæ (o). Primipilus ergo est munus quoddam militare, vel exhibitio & cura annonæ militaris. *General Proviant-oder Schatzmeisters-ambt.* (p)

Cui

(m) ad Cod. tit. de Cohortal. (n) de Pignor. c. 4.

(o) Duarenus ad tit. C. de conduct. ex Lege. & Brunemannus in Cod. h. tit.

(p) L. solita. 3. & 7. C. de Cohortalib.

Cui hodiè comparari solet *der Kriegs Commissarien amte*.
Ita, ut præter Annonam etiam stipendia militibus distri-
buant. Haud enim negamus & primipilo præter Curam
Annonæ stipendorum quoque distributionem fuisse com-
missam, per alleg. LL. Neque hîc refragantur Vegetius (q)
& Corasius (r) qui licet asserant, Curam Annonæ ad officii
præfecti Legionis pertinere, non ob id negant primipilo
jus esse administrandi & annonam inter milites distribuendi,
quinimò Alciatus & Anton. Augustinus (s) dicunt, milita-
rem annonam primipilum, quandoque partem primipili
appellari (t).

(q) Lib. 2. c. 9. (r) Lib. 5. miscell. c. 4.

(s) in C. h. tit. Lib. sing. ad Modestinum. p. 437. seq.

(t) L. 3. 7. & 8. C. de Cohortal.

Th. V.

Erant autem hæc Administratio militaris annonæ pri-
mipilo nostro non solum maximè honorifica *ut supra the-
si I. dixi*, Verùm & juxta valdè profitabilis, plurima enim
consequatur Commoda & privilegia, eâ feliciter per-
actâ, de quibus nunc ordine pauca quædam in medium af-
feram, Imperatorem secutus, qui ipsemet etiam prius de
Commodis primipilorum quàm gravaminibus loquitur.

Quanta autem fuerint istiusmodi Commoda certò sciri
non potest, constat tamen ex Papiniano (u) patrem primi-
pilarem inter filios facultatibus divisit, filia ex commo-
dis primipili 300. aureos reliquisse, quæ erat ejus portio,
eaque debita ex primipilaris officii administratione. Hæc
verò Commoda & Salaria demùm post administrationem
incipiunt deberi (x) vel finito officio seu Anno, licet

A 3

si ad-

(u) L. 23. de adim. Legat. (x) L. 1. C. h. tit.

si administrator decedat nondum finito anno, id transmittat ad suum hæredem (y). Undè colligitur hæredes officialium totius anni salarium percipere (z). Et quamvis regulariter ante tempus debitores non conveniantur (a) quia plus petere is dicitur, qui ante tempus petit. Ante tempus tamen exigi potest primipilare debitum (b).

(y) L. 1. eod. (z) L. 1. §. 13. *de extr. cogn.* & L. 4. *de off. adfess.* (a) §. plus autem. 33. *Instit. de Action.*

(b) L. 1. C. de condict. ex Lege.

Th. VI.

Præter annonas & hujusmodi Commoda quibus contenti esse debebant primipilarii, alia consequabantur privilegia & immunitates, atque ex Constitutionibus Imperatorum excusationem omnium tutelarum, nisi quod filiorum primipilarii tutores existerent, qui verò primipilum expleverat, si cum tutelam suscepisset unius filii primipili, rursus in necessitates militares est assumptus, deponebat sollicitudinem tutelæ. (c) Præterea primipilarius munerum omnium ac maximè tutelarum per annum, postquam esset reversus, vacationem habebat.

(c) L. 10. §. 5. *de Excus. Tut.*

Th. VII.

Hoc tamen non est debitoribus primipilaribus indulgendum, ut reus sive debitor, coràm primipili iudice respondere cogatur (d). Casus talis esse poterit. Titius contraxit cum primipilario & sic ejus debitor est effectus, primipilus vult Titium coràm non suo iudice, fortè coràm Magistro militum convenire, certè non potest. Scien-
dum

(d) L. 2. Cod. h. tit.

dum enim quod cum fiscus agere vult contra primipilum, convenire cum debeat coram procuratore Cæsaris, undè ibidem dici videtur, quod cum fiscus convenire vult debitorem primipilaris, quia fortè primipilaris debitor fisci non est solvendo, conveniet cum non coram suo iudice. h. e. Procuratore Cæsaris, sed coram iudice illius debitoris (e) juxta regulam Juris, Actor Rei forum sequitur. Cum igitur Leges Exceptionem primipilaris non concedant, neq; nostrum est speciale quid fingere. Illud tamen jure novissimo sancitum est, ne Primipilarii, Cohortales & Officiales Præsidum atque Decuriones cum detrimento Reipublicæ cui serviunt, ex suâ Provinciâ aliò Litis causâ abstrahantur, citra specialem jussum Principis, eumq; Præfecto Prætorio insinuatum (f).

(e) L. 1. seq. de Condict. ex Lege.
conf. Christina: V. Decis. 171. n. 7. & 8.

(f) Nov. 151. & Perez. in Cod. h. tit.

Th. VIII.

Quemadmodum autem primipilus ex bonâ administratione magna consequatur Commoda & Salaria, ita etiam è malâ, non solum ipse, sed Uxor & Liberi ejus multa quoque sentiebant incommoda; Nam si primipilus Fisco eò nomine fit obnoxius, is non tantummodò pignoris jure manum in ejus bona injicere potest, sed & in res dotales, si Uxorem habeat, & bona filiorum etiam exheredatorum (g). Quoad bona ipsius debitoris, sciendum fisco competere hypothecam specialissimam & quidem præcipuam ac anteriorem omnibus aliis creditoribus quantumvis privilegiatis, nullâ ratione habitâ eorum potioritatum & anterioritatum

(g) L. 3 & 4. C. h. tit. conf. Odofred. ad L. satis notum. 4. C. in quib. caus. pign. vel hyp. tac. contr.

tatum (*h*). Quare si maritus debens fisco ex causâ primipili quia in eo deliquit, est solvendo, universa ejus bona, & si hæc non sufficiunt, etiam nominatorum ejus, qui eum ad hoc officium nominarunt, prius sunt excutienda (*i*). Unde si bona mariti ob administrationem primipilarem à fisco occupata sint, res, quas mulier suas esse liquido probaverit, ab illis separari debent, ac ei restitui (*k*). Quemadmodum conceditur mulieri separatio bonorum paraphernalium, quæ fiscus capere non potest (*l*). Quia hæc bona in dominio Uxoris sunt (*m*). Non sunt, nec unquam fuerunt in dominio mariti sicut dotalia (*n*). Sed maritus in iis solam habet administrationem, ut propterea in illis tanquam omninò alienis nulla possit fieri Executio ex causâ primipili. Et sic melioris Conditionis sunt paraphernalia quàm dotalia quia non sunt in dominio mariti (*o*). Si verò maritus non est solvendo, ita ut universis Viri ac nominatorum facultatibus exhaustis, fisco satisfieri non possit, res sanè dotales Uxoris ejus fiscus capit (*p*). Sine ulla distinctione, quamvis Socinus Junior (*q*) existimet, jura illa tantum procedere, quando mulieres nubunt post assumptum à marito officium primipilatus, non verò antea, quia non videtur justum

(*h*) Abbas in Cap. 10. cum ex parte, n. 5. in Glossâ.
in verb. alien. de Consuetud.

Covarruv. Var. Resol. Lib. 1. c. 16. n. 6.

Barbosa part. 7. L. 1. de sol. matrim. n. 4.

Negusant. de pignor. 2. membr. 5. partis. n. 27.

(*i*) Per d. L. 4. satis notum. C. in quib. caus. pign. tac.

(*k*) L. 1. C. de priv. fisci. (*l*) L. 2. C. ne Vxor pro marito.

(*m*) L. 1. C. ad L. Jul. de vi publ. (*n*) L. fin. C. de pact. conv.

(*o*) Salycet. ad L. 4. C. in quib. caus. pign. tac. contr.

(*p*) Per d. L. 4. satis notum. C. in quib. caus. pign. tac. &
L. 3. C. h. tit.

(*q*) in rubr. de sol. matrim. n. 271.

Atum, ipsas puniri amissione dotium ob culpam mariti, sed non firmiter tenet istam sententiam, quia verba textuum nimis urgent. Causa igitur Primipili præfertur causæ dotis, aliàs maximè favorabili, quia Dos omnibus Creditoribus præfertur (r). & ob delictum mariti Dos uxoris regulariter non tenetur (s). In tantum ut etiam donationes Viri, morte confirmatæ, uxori eripiantur (t).

(r) L. assiduis. 12. C. qui pot. in pign.

(s) L. 1. Cod. ne. uxor pro marito.

(t) L. 15. C. de donat. int. Vir. & Ux.
conf. Brunemann. ad Cod. h. tit.

Th. IX.

Ratio autem & Causa hujus tam rigorosi Juris est maxima Reipublicæ Utilitas, quam privatorum Contractibus anteferendam esse rescribunt hîc Imperatores Diocletianus & Maximianus, quando enim primipilus in erogatione annonæ militaris & distributione stipendiorum se non fidelem præstitit, quædam intervertendo, res bellica, in qua totius Reipublicæ Salus consistebat periclitabatur, maximè enim obest Primipili negligentia vel dolus & fraudulosa Contractatio in pecuniâ vel annonâ militari distribuendâ commissus, quia utriusque frustratio ad Reipublicæ Eversionem tendit, & maximos interdum in militibus corporum & animorum remissiones facit: Ex inopia namque proditio, & fluxa servitiorum fides ac fortuita belli speranda (u). Insuper milites annonâ & stipendiis destituti in morbos incidunt, deserunt signa & exercitum sine quo Respublica defendi & conservari nequit (x). Vel etiam,

B quod

(u) Tacitus. IV. Histor. 23. in fine.

(x) Corasius. V. miscell. 4.

quod hæc temporibus singulis fere diebus accidit, miserimè provinciales & rusticos tractant, dum ipsis omnia quæ habent, auferunt, & si nihil inveniunt, ædes ipsorum in cineres redigunt, agros depopulantur, atque etiam ipsos peregrinantes sæpius invadunt. Ut propterea Imperatores de hoc negotio valdè solliciti, ad terrorem Primipilorum duram hanc provisionem constituerint, ut per eam diligentissimi in administratione suâ evadant Primipili (y). Cum enim omnes fortunas nostras, Corpus etiam & Vitam Reipublicæ, cui nati sumus, debeamus & pecunia comparetur fisco ad bonum publicum, quæ pacis & belli nervus existit, æquum est, ut debitor fisci ad solvendum cogatur jure pignoris, quò ea quæ ad publicam causam reditura sunt, omni ratione dissolvantur (z). Veteres etiam annonam & stipendia nervum acrobur Reipublicæ, & causam Primipilarem potiorem esse dixerunt, nec satis sæpè in eos animadvertere potuerunt, qui in hoc munere deliquerunt (a). Hinc apud Hollandos cautè & utiliter provisum est: *Wer Proviant angreiffet/oder beraubet/solle gehenck't werden* (b).

(y) Alciatus. 3. præsumpt. 41. Merlin. de pign. & hyp. Lib. 3. tit. 3. quæst. 94. n. 8. Panormitan. in Cap. fin. de Consuetud.

(z) Obrecht. disp. de pignor. C. I. A. in quib. caus. pign. vel hypoth. tac. contrah. th. 7. pr.

(a) Perez. Cod. h. tit. (b) Holländisch Kriegs-Recht, art. 190.

Th. X.

Et licet etiam Dotis causa aliquatenus publica sit, utilitatemque publicam concernat, notandum tamen Utilitatem publicam suos habere gradus (c). Undè Cynus ad L. satis

(c) Barbosa in L. i. part. 7. §. sol. matrim.

L. satis notum. notandum esse dicit, quod ubi Utilitas publica principaliter ex unâ parte, ex alterâ verò tantum secundariò est, præferatur illa; quia Utilitas publica principaliter favorabilior & potentior est, quàm publica secundariò (*d*). Nec obstat, Reipublicæ interesse, ut dotes conserventur, quia fiscus agens ex causa Principis, ideo præfertur, quia Utilitas publica præfertur privatæ; Causa enim dotis in comparatione ad causam Principilarem est privata; Parum namque Reipublicæ derogat, unius alteriusve mulieris dotem perire, sed maximè obest, unius negligentia vel dolus in administrandâ annonâ militari commissus, quia exinde totius Reipublicæ salus dependet; Quod ergò in commune omnibus prodest, nonnullorum Utilitati esse præponendum, monet Klockius (*e*). Quia bonum generis divinius est, quàm bonum unius hominis. (*f*) Undè apud Platonem justissimè illa Civitas traditur instituta, in quâ proprios quisque nescit affectus. Lex quidem Civilis pro communi Utilitate scripta est (*g*) ut propterea bonum publicum sit correlativum privati, neque unum sine altero dari possit (*h*). Sed quædam Utilitas publica respicit principaliter Cives ut singulos, quædam ut collectivè consideratos, & hæc est Utilitas fisci, quia per divitias fiscales defenditur Respublica ab hostibus (*i*). Licet aliàs Utilitas fisci consideretur ut privata ipsius Principis (*k*), tamen quia debitum Principilare contrahitur pro-

B 2

pter

(*d*) Cap. si diligenti. 12. de foro compet. & Cap. 28. cum contingat. de jurejurando.

(*e*) Vol. 1. Consil. 28. n. 288. & de Contract. c. 12.

(*f*) Aristoteles. 1. Ethicor.

(*g*) Cap. II. distinct. 4. (*h*) Barbosa part. 7. L. 1. c. sol. matr.

(*i*) Idem cit. loc. (*k*) L. unic. §. ult. C. de cad. toll.

pter destinata ad stipendia & annonam militum, meritò dicitur tantum agi principaliter de Utilitate publicâ, cum in militibus consistat defensio & conservatio totius Reipublicæ.

Th. XI.

Quare mulieres si de Dote suâ securæ esse volunt omnes Actus Virorum suorum Primipilariorum diligenter observare, nec nimium ipsis hâc in re indulgere debent, sed sedulo ab omni fraude eosdem dehortari, & si nullus dehortationi locus foret, ipsi Magistratui indicare, ut in omnem eventum ipsæ excusatae essent; si verò hæc talia non observant, sed potius infidelitatem mariti reticent, & perpetuo silentio eandem involvere conantur, quinimò nec proprias ipsarum manus in hoc passu Primipilari tenere possunt, tunc certè nullam merentur excusationem, sed meritò & Dotem ac donanuptialia amittunt, quia consentientes pari poenâ afficiuntur, namque participes præsumuntur delicti (l). Fisco etenim ut satisfiat hæc omnia ipsi cedere Utilitas publica quæ privatorum Contractibus anteferenda, requirit atque exposcit (m).

(l) Damhoud. in Prax. Crim. c. 117. n. 6.

(m) L. 1. & 3. C. de condict. ex Lege.

Th. XII.

Eadem hæc Utilitas publica etiam duram illam omnique rigore plenam Divi Aureliani Sanctionem, quæ liberos etiam si Patribus hæredes non existant, ex Primipili causâ fisco teneri statuit (n). quodammodo corrigere atque lenire debet. Durum namque imò injustum videtur, ut si-

(n) L. 4. C. h. tit.

ut filius teneatur ob malam administrationem patris (o).
 Est enim expressè contra Tit. Cod. *ne filius pro Patre*. Nec
 ii qui hæreditate paternâ abstinere, patris nomine ullâ ra-
 tione conveniri possunt (p). Et Procurator Cæsaris eum
 ex personâ patris conveniri prohibet (q). Speciali itaque
 jure, imò specialissimo cautum est ex solâ Primipili causâ fi-
 lios, licet hæredes patris non existant, propter conjunctio-
 nem naturalem ob quam pro unâ personâ habentur, fisco
 teneri (r). Aliis enim Creditoribus non tenentur, si pa-
 tris hæredes non sunt, & ex paternis bonis nihil possident (s).

(o) Regnerus de Primipilo.

(p) L. eum qui. 4. C. de arbitr. tutel. L. 2. & 3. C. de revoc.
 quæ in fraud. cred. alien.

(q) L. 1. & 2. C. de repud. hæred.

(r) L. 4. C. h. tit. Balduin. de pignor. c. 7.
 versic. porro rescriptum. conf. Schepliz. ad prompt.
 Klammeri tit. 33 n. 9.

(s) Lucas de Penna ad Cod. tit. de Primipilo.

TH. XIII.

Jure Fisci, quod ex causâ Primipilari ipsi compete-
 bat jam satis explicato, progredior ad illam celebrem & à Doctoribus
 Juris multum agitatam controversiam; Utrū Camera Prin-
 cipis vel *Ærarium Reipublicæ* hodiè idem habeat privilegiū
 adversus suos respectivè *Thesaurarios & Quæstores* extra
Castra, *Distributores Annonæ*, aliosq; pecuniæ publicæ Ad-
 ministratores *Rent und Proviantmeisters*? quæ disceptatio
 cum valdè sit spinosa & intricata, atque quodammodo odio-
 sa, meritò Doctorum rationes & auctoritates in utramque
 partem, suspensò meò judicio, (*pro affirmativâ tamen exer-*
citij, gratiâ pugnaturus) in medium profero; ad evitandam

B. 3

enim

enim ut puto invidiam eorum qui tractant res fisci, neutram partem aperte sequi, sed rem indecisam relinquere voluerunt Peregrinus (t). Barbola (u) & P. Joh. Fontanella (x).

(t) de jure fisci. Lib. 6. tit. 6. n. 43.

(u) Ad L. 1. part. 7. π . sol. matrim. n. 4.

(x) de pact. nuptial. tom. II. claus. 2.

gloss. 2. part. 3 n. 11. & 12.

Th. XIV.

Prima autem Ratio Negativam asserens desumpta est ex Cujacio (y) quando dicit, harum Legum sententiam, velut iniquam exolevisse, jus enim esse *παράδοξον*, insolens & novum, ideoque has Leges esse exorbitantes, & à praxi nostrorum temporum alienas; Duritiem sanè maximam continent, nemo est qui non admittat prædurum esse filios teneri ad debita paterna, cum ab ejus hereditate se abstinent; & rem dotalem mulieri auferri à fisco pro satisfactione sui crediti, acerbissimum esse nemo non videt, quare cum hoc genus dispositionum debeat æquitatis temperamento leniri (z) absurdum esset, eas interpretatione adjuvare (a). Est materia parùm practicabilis inquit Fontanella (b). Atq; hoc jus abrogatum esse Jure Gallico tradit Christinæus (c).

Secunda, fundata est in specialitate hujus Juris, illud enim specialiter fuisse constitutum in causâ Primipili agnoscunt Odofredus (d)

& Bar-

(y) ad L. pen. & ult. C. h. tit. & L. 5. C. ad L. Jul. Maj. L. 1. C. de condict. ex Lege.

(z) L. 5. Cod. de bon. matern

(a) L. cum quidam. in pr. π . de lib. & posthum.

(b) de Pact. nuptial. tom. II. claus. 7. gloss. 2. part. 3. n. 14.

(c) IV. decis. 155. (d) ad L. 4. satis notum. C. in quib. caus. pign. tac. contrah. & in L. 2. C. ne Uxor pro marito.

& Bartolus (e) Baldus (f) Salycetus (g) & Barbosa (h). Clarissimi Juris hoc est, cum constitutum sit, nec filium pro patre, nec uxorem pro marito teneri (i); Quando igitur Doctores docent, hoc jus speciale esse in debito ex causa Primipili, aperte sentiunt, idem non esse observandum in cæteris causis, ex quibus quis fisco obligatur, jus enim speciale in uno in cæteris indicat jus commune observari (k).

Tertia consistit in eò, quod munus Primipili hodiè nequidem in Castris in usu est, ut docet Castrensis (l). Cum ergò sit extinctum hoc Officium, cessare etiam debet provisio de eo Lege introducta (m).

Quarta Ratio, diversitatem rationis continet, quando enim agitur de debito Primipilari, agitur de credito valde privilegiato militaris annonæ distribuendæ militibus, in quibus consistit tota Salus Reipublicæ, & quia tale interesse est maximum & principale, jura propterea sunt conscripta ab Imperatoribus omni rigore plena, cum hæc autem cesset Ratio in Thesaurario qui tempore pacis pecuniam Principis administrat, debet cessare etiam dictum privilegium, & Legum allegatarum Censura (n).

Quinta datur ex eo quod Imperatores Romani habebant bellum frequentissimum cum hostibus Romani Imperii, in castris autem habebant Primipilos, qui stipendia distribuiebant & annonam, in Urbe verò Romanâ Came-

ram

(e) ibidem. (f) in L. 1. n. 24. w. sol. matrim. (g) Cod. h. tit.

(h) Part. 2. L. 1. n. 23. w. sol. matrim.

(i) tot. tit. Cod. ne uxor pro marito. & L. 1. C. ne filius pro patre.

(k) L. 12. w. de judicis. & arg. L. 1. C. de Thesaur.

(l) L. 1. C. de jure fisci.

(m) Idem c. loc. & Merenda Controv. Juris. lib. 6. c. 39.

(n) Merenda Controv. Juris. Lib. 6. c. 39.

ram & Fiscam, ac suos Procuratores & administratores. Constitutiones autem in Corpore Juris leguntur distinctæ & separatae de privilegiis fisci, & distinctæ & separatae de privilegio Primipilaris causæ, undè ab unâ constitutione ad aliam non est inferendum, imò cum inter Constitutiones, quæ de fisco & ejus privilegio loquuntur, non reperiatur inscriptum hujusmodi privilegiū contrâ Thesaurarium prælationis doti & anterioribus creditoribus, erit dicendum, cessare & nullo modo concessum esse & in Primipilo esse casum specialem & exceptum, inq; aliis creditis Principis regulam esse in contrarium (o). Et hanc opinionem sequuntur plures Doctores quales sunt Castrensis (p) Covarruvias (q) Cujacius (r) & alii (s). Quam etiam in Regno Neapolitano observari tradit Franc. de Ponte (t). namq; contra nullum ex Officialibus regiis hoc jus observatur, ob magnam ejus duritiem inquit allegatus Auctor. Idem practicatur in Regno Siciliae ut testatur Mastril. (u) Sicuti etiam fit in Lusitania, ut docet Alfardus (x). In Regno etiam Arragoniæ hoc jus rigidum non observari contrâ ullum ex Officialibus Regiis scribit Fontanella (y), qui refert quandam sententiam lætam hæc in re An. 1617. in favorem fisci, fuisse revocatum. Maximè verò locum haberet hæc opinio, quando Dos uxoris consisteret in corporibus & rebus stabilibus, quia ubi non fuerunt datae marito in-

- (o) Duarenus in tit. Cod. de condict. ex Lege.
& Merlin. de pign. & hypoth. Lib. 3. t. 3. quæst. XCIV.
(p) L. II. C. de privil. fisci. (q) Var. Resol. Lib. I. c. 16. n. 7.
(r) ad tit. C. in quib. caus. pign. tac. contrah. col. 2.
versic. & quod ibi.
(s) Merlin. c. loc. & Merenda Controv. Juris. Lib. 6. c. 39.
(t) Tract. de Potestate Pro Regis. tit. 4 c. 8. n. 17.
(u) de Magistratib. Lib. 5. c. 9. (x) de jure fisci. gloss. 116. n. 94.
(y) de Pact. nupt. clauf. 7. gloss. 2. Part. 3. n. 8. & 14.

inæstimata, dominium esse diceretur apud Uxorem, & propterea Princeps non haberet privilegium causæ Primipilaris (z).

(z) L. 1. C. de de priv. fisci.

Th. XV.

Dixi supra thesi XIII. *Extra Castra*, quod probè notari velim, nam adversus Thesaurarios bellicos, quos vocant Commissarios Exercitûs, qui dietim pabula militibus & cæteris Exercitûs Officialibus præstare tenentur, cum in his eadem prorsus ratio militet, idem privilegium fisco competere nemo est qui dubitat (a). Hinc *Le Bret de la Souveraineté du Roy* (b) dicit, in Galliâ bona Quæstorum aut eorum qui retinent pecuniam apparatusi bellico & exercitui destinata, item dotalia Uxorum ipsis nuptiarum tacitè obligari & prius occupari à fisco (c). Idem asserit Duarenus (d), dum inquit, hodie nos eodem jure utimur in quæstoribus belli, qui si vera sunt quæ ex Vegetio legimus, sunt Primipili, de quibus hîc loquimur, quia munus eorum versabatur in annonâ militibus distribuendâ. Verùm an indistinctè adversus Thesaurarium Principis & alios quosvis Administratores pecuniæ publicæ, *Rent vnd Proviantmeister*. Idem privilegium hodiè possit extendi quæstionis est?

(a) Castrensis. L. 1. C. de priv. fisci. & arg. L. 64. c. de C. & D. conf. Munnoz ab Escobar de Ratiocin. c. 39, n. 9. Capyc. decis. 129. Peregrin. de jure fisci. Lib. 6. tit. 6. n. 43.

(b) Liv. III. ch. 10. (c) L. 3. & 4. C. h. tit.

(d) ad tit. C. de condict. ex Lege. p. 1232.

Neque tamen Affirmativa sententia suis rationibus & Doctorum auctoritatibus est destituta, quarum I. deducitur ab ipsâ *ἔτυμολογία* vocabuli Primipili. quod sit inter administratores Principis primus (e). Et pro hâc parte videtur etiam facere Textus L. Officiales. 4. C de Episc. & Cler. ponderando eum quatenus Primipilus æquiparatur officiali Principis, & secundum glossam ibi fit mentio de Primipilo, tanquam de majori & primario Administratore (f).

II. Firmior adhuc & validior est primâ; Primipilum etenim fuit apud Romanos militaris quædam dignitas, solita concedi strenuis & generosis militibus cum administratione annonæ & stipendiorum, undè finito bello cessabat officium, & iste administrator onerabatur ad reddendam rationem administratæ pecuniæ, si quid commisit facinorosum, subtrahendo de stipendiis vel annonâ, de publico delicto puniri tunc contingebat (g). Jura itaque prædicta duos habere possunt respectus ad publicam causam & commissum delictum subtractionis stipendiorum & non distributæ annonæ militibus à Primipilo, & ad redditionem rationis cessante dicto delicto, undè quatenus ad Thesaurarium Principis tempore pacis non valeat adaptari prima Ratio, ex quâ pergravabatur Primipilus, non cessat tamen in Thesaurario secunda Ratio in quâ considerabatur factum redditionis rationis pecuniæ publicæ citrà delictum, & pro quâ redditione extrâ tempus belli & causam publicam ipsa Camera

(e) Peregrin. de jure fisci. Lib 6. tit. 6. n. 43.

(f) Glossa in rubr. Cod. de Primipilo. & in L. sed & milites 10. §. ult. ꝯ. de Excus. Tut. & in L. patet. 23. ꝯ. de adim. Legat.

(g) Cabal. Resol. Crim. 99. & Farinac. quæst. 171.

mera fisci privilegium obtinebat prælationis Creditoribus etiam anterioribus, & in hoc casu secundo privilegium videtur introductum mero favore Principis, & non ex causâ militiæ, & sic dici debet, ut idem privilegium debeat competere contra Thesaurarium generalem Principis, qui dicitur succedere tempore pacis in officio Primipili.

III. docet, quia Camera Principis congregat pecunias ob bonum universale Reipublicæ necessarium tum tempore pacis tum belli, undè rectè videtur posse dici, Thesaurarium Principis esse debitorem Camerae ex causâ Primipilari, ob futurum eventum belli. Nec obstat, quod Camera extrâ causam Primipilarẽ & ex simplici jure fiscali non habeat privilegium, ut præferatur doti, & aliis Creditoribus anterioribus, quia respondetur, quod quandoq; fiscus agit contra privatum debitorem, in concursu cum aliis Creditoribus, & tunc procedit, quod fiscus non habeat privilegium prælationis, quandoq; verò fiscus agit contra debitorem ex causâ universalis administrationis publici ærarii, & aliud dicendum est, nam in jure est magis privilegiata causâ crediti alicujus contra debitorem ex causâ administrationis, quoniam hypotheca tacita contra eum est inducta, quàm sit contra debitorem ex aliâ causâ, quia hypotheca tacita extrâ causam hujusmodi denegatur, dum non est specialiter inducta expressâ, & non est absurdum dicere, ad Principis favorem hoc fuisse introductum privilegium, non tantum quando agitur contra Administratorem verè Primipilarem, sed etiam quando contra administratorem generalem, quia simile privilegium doti fuit concessum, ut præferatur anterioribus Creditoribus (b). Undè non videtur inconveniens ut dictum est, ut etiam concessum videatur contra Admini-

C 2

strato-

(b) L. assiduis. 12. C. qui pot. in pign. hab.

stratorem Principis, propter utilitatem publicam quæ privata commoditati est præferenda (i). Quare privilegium hoc fisco competere videtur etiam ex causâ alterius cujuscunq; gesti honoris publici vel civilis muneris, si quis ex eo reliquator existat (k). Beutherus (l) extendit wider alle Proviant-Commis- Schas- und Rentmeister. Quod etiam sequitur Constitutio Argentoratensis (m) Wo der Schuldner das Proviant- Schas- Rent- Zahl- oder Kriegs Commissarien- Ambt versehen hätte / daß der Fiscus so wohl in Seinen/ des Schuldners eigenen / als dem Weib und seinen Kindern/ respectivè bey der Ehesteuer/ und anderen den Kindern eigenthumblich zustehenden Gütern / ob sie sich des Väterlichen Erbs gänglich enthalten hätten/ zu præferiren. Et hæc Affirmativa non solum Legibus & Doctorum autoritatibus est firmata (n). Sed & Decisionibus judicialibus quoque corroborata & munita est, teste Capycio (o), qui ita decisum refert: Ita etiam judicatum à supremo Concilio Brabantia, in causa hæredum Domini Drinckwaert contra hæredes ejusdem Viduæ, auctor est Christinaus (p). Ipsa quoque Respublica Argentoratensis hujus rei exemplum nobis suppeditat de Anno 1620. In dem weyland N. N. Wittib und Kindern ein auff der Neuburgischen Landschaft haffendes Capital 800, Thaler besaß

(i) L. 3. C. h. tit.

(k) arg L. 3. C. ne Uxor pro marito. Cujacius Parâtit. C. de priv. fisci.

(l) Lib. I. cap. 58. pr. (m) Class. II. §. XXXV.

(n) Angelus L. 1. Cod. de priv. fisci.

Mantica de tac. & ambig. Convent. Lib. II. tit. 18.

Fontanella de pact. nuptial. tom. II. claus. 7. gloss. 2. part. 3.

Mart. Garat. de fisco. quæst. 214.

(o) Decis. 129. n. 12. fin. (p) IV. Decis. 155. n. 9.

Befägend/ womit Ihrer Mutter Seel. Brautlauffwidumb
 der 1000. fl. Strasburger Wehrung in Anno 1581. versis-
 chert gewesen/ entzogen/ und dem Pfeningthurn zugeeis-
 gnet worden/ auß dem Fundament das Ihr respective
 Mann und Vater der Stadt Wechsel darinnen Er ges-
 essen / nicht allein von Anfang gleich umb 2000. fl ver-
 fürkt/ sondern auch nachgehends so viel veruntrewet / das
 man sich des Schadens an Ihme zu genügen nicht erhö-
 len können/ ob schon all sein Haab und Gut confiscirt und
 eingezogen worden/ deswegen man auch nach Aufweisung
 gemeiner und dieser Stadt Recht/ sich nicht allein an des
 Weibs Ehesteuer / sondern auch der Kinder Eigenthumb
 erholen können/ ohngeacht sonst eine Frau oder Kin-
 der für den Mann oder Vater zu bezahlen nicht gehalten
 noch verbunden sind.

Th. XVII.

Ceterum satis constat, quod Respublica habeat ta-
 citam hypothecam in bonis administratorum ut tradit Glos-
 sa (q). quatenus dicit, quod obnoxia censeantur corpora
 quoquo modo à debitore sive administratore Reipublicæ
 alienata, ita, ut virtute hypothecæ à quocunque possessore
 vindicari valeant (r). Nec obstat L. 2. C. de jure Reipu-
 blicæ, ubi dicitur, Reipublicæ causam si neque beneficio
 sibi concessio jus nata est, neque specialiter in obligatione
 pignoris sibi prospexit, non separari à cæteris creditoribus,

C. 3.

qui

(q) L. 2. C. de debitor. Civitat. verb. obnoxiiis,
 versic. in bonis autem administrantis.

(r) L. bonis. 39. §. Respublica. c. de reb. auth. jud. & arg.
 L. quoties. 2. C. quo quisque Ord. cony. conf. Wesemb.
 in paratit. de privil. Cred. n. 5. & Zasium in L. 19. c. de
 re. judic.

qui habent personalem Actionem. Respondeo enim cum Berlichio (s) in d. Lege non tractari de Administrato-ribus Civitatum, sed de eo casu, ubi civitas alium debito-rem liberavit, & debitum illud, pro quo fundus, jure pi-ignoris fuit obligatus, solvit, tunc pro illo debito meritò jus hypothecæ non habet, nisi ex beneficio fuerit naçta, vel specialiter sibi in illo fundo de pignore prospexit, quo-niam solutione debiti hypotheca semel est sublata, quæ non reviviscit, nisi secundus Creditor sibi expressè eam consti-tuerit (s). Franciscus Munnoz ab Escobar (u) ita docet, Aliam ibi Imperatoris mentem fuisse, dum inquit causam Reipublicæ non separari à cæteris Creditoribus, qui per-sonalem Actionem habent, eos Creditores, *haud dubiè*, in-telligi voluit, quibus personalis Actio competit, & ideò cum de pignore quæsitum fuisset, ei prædictum privilegi-um competere respondit; quò fit ut non solùm Respublica tacitam hypothecam habeat adversus horrei publici admin-istratores (x). Sed etiam in bonis cujuscunque alterius qui publica bona & patrimonium Reipublicæ administra-verit, ut suprà legibus & Doctorum Authoritatibus pro-bavi. Quam sententiam quoq; approbavit JOHANNES GEORGIUS DUX & ELECTOR Saxonix (y). Atq; hæc quæ dixi, non de Romanâ tantùm Republicâ, aut quæ superiorem non recognoscit, vel à superiore Regalia & privilegium habet, intelligenda sunt, (z).

Sed

- (s) Conclus. 67. n. 42. (t) L. 4. §. 1. L. 5. §. 2. & 6. w. quib. mod. pign. sol.
 (u) de Ratiocin. c. 39. n. 6. (x) L. 2. & 9. w. de admin. rer. ad Civ. pertin.
 (y) Proceß Ordnung. tit. Von dem stillschweigenden Pfande. 45. col. 2. § so sind auch die Güter der jenigen. p. 129.
 (z) Cujac. II. Observ. 24.

Sed de omnibus Rebuspublicis & Statibus Imperii, cum omnes & singuli hodiernis moribus Regalia & jus fisci habeant (a). Est enim jam vulgò decantatum, esse Status Imperii in suis Territoriis Vice Imperatoris, & omnes Magistratus, qui merum & mixtum Imperium habent, id sibi jure Magistratus vindicare. *Heyligen und Herren gehen vor* (b).

(a) C. I. A. Lib. 42. tit. 5.

(b) Idem cit. loc.

Th. XVIII.

Quærent hîc Doctores; An Ecclesia etiam habeat tacitam hypothecam in bonis sui administratoris vel Oeconomi? & videtur quod Non! quia nullibi in jure simile privilegium tacitæ hypothecæ Ecclesiæ reperitur concessum, undè cum privilegia exorbitent à jure communi, qui non reperitur privilegiatus, subjacet regulis Juris. Neque hypotheca inducitur, nisi in casibus à jure expressis (c). His tamen non obstantibus affirmativa tenenda erit (d). nam Prælatus reputatur tanquam maritus Ecclesiæ (e), sicut igitur uxor tacitam habet hypothecam in bonis mariti pro dote restituendâ à die contracti matrimonii (f). Ita quoque Ecclesia in bonis Prælati, & cujuscunque alterius Administratoris illius pro damnis, ex ejus administratione rebus ipsius illatis, à die susceptæ administrationis, non à die damni dati, sive malæ gestionis (g).

Idem

(c) L. simile. 10. *de* ad municipalem. Pet. Surd. decis. 271. n. 10. Alberic. in L. 2. C. in quib. caus.

(d) Constit. Reip. Argent. de An. 1650. fol. 46.

(e) Cap. sicut Vir XI. & C. sicut alterius. XXXIX. 7. quæst. I.

(f) L. assiduis. 12. C. qui pot. in pign. hab.

(g) Escobar de ratiocin. c. 39. n. 13.

Idem quoque observari in Administratore Hospitalis docet
Negufantius (*b*). Hospitalia namque Ecclesiis, Rebuspu-
blicis ac minoribus æquiparari declarat Ludovicus (*i*).

(*b*) de Pignor. 4. membr. part. princip. n. 123.

(*i*) Decif. XXX. n. 7.

Th. XIX.

In causâ Primipilari ob paritatem rationis rectè inclu-
di censerem ea debita ex tributis impositis ob Principis præ-
cipuas & urgentes necessitates & calamitates Reipublicæ, in
quibus eminet utilitas publica primariò (*k*). Undè qui
in militiam credidit, non solum hypothecariis expressis an-
terioribus, sed etiam mulieri, dotem suam repetenti, præ-
fertur (*b*).

(*k*) Rodriquez. de concursu & privil. Credd. part. 1.
art. 2. n. 32.

(*l*) per Auth. quò jure. Cod. qui pot. in pign. Nov. 53. c. 5.
& Nov. 97. cap. 4.

conf. Gail. II. Observ. II. & Rittershus. in Expos. Nov. p. 3.
c. 8. n. 9.

Atque hæc non tam pro præsentis Instituti ratione quàm
temporis brevitæ dicta sufficiant, quæ, ut in Divini Nu-
minis Gloriam & Reipublicæ Utilitatem cedant,
piis ad D E U M precibus unicè
contendo.

T A N T U M.

COROL-

COROLLARIA.

I.

Filius, solvendo creditoribus paternis, vel solutionem recipiendo, vel domum paternam inhabitando &c. videtur adire hereditatem paternam (a). Secus tamen est in eo, qui debitum Primipilare pro patre solvit, hic enim non videtur adire hereditatem patris, & propterea non tenetur ceteris Creditoribus paternis (b); Quia hic actus talis est, qui potest fieri citra jus & nomen heredis (c).

(a) L. gerit. 88. ibiq; Bart. n. 21. π. de acqu. hered. Gail. 2. Observ. 128. n. 12. seq.

(b) L. ult. C. de Primipilo. ibiq; Platea.

(c) Gratian. discept. forens. 733. n. 4. fac. L. pro hered. 20. §. Papinianus. 4. π. de acqu. hered. L. 1. C. de repud. her. Gail. cit. loc.

II.

Ubicunq; pœna statuto expressa est, cessat pœna juris communis, & pœna statutaria est exequenda (d).

(d) M. Pistor. I. Consil. 26. n. 48.

III.

Sicut Judex in delictis potest pœnam ordinariam

riam temperare & mitigare juxta Circumstantias & qualitates facti cuiusvis; ita etiam ob enormitatem & immanitatem delicti pœnam aggravare Judici fas est (e).

(e) Carpzov. quest. 20. n. 46. & 48. & part. 4. constit. 18. defin. 5. n. 5. & quest. 8. n. 46.

I V.

Pœna, quæ ipso jure imponitur, heredem quoque affligit (f). nam sapissime perit justus pro impio (g). exemplo esse poterunt Liberi Primipilorum (h) Liberi incestuosi (i) & Liberi rei criminis læsæ Majestatis (k). Consentiunt Jura Feudistica (l) Pax publica, de Anno 1495. & 1548. (m) & plurima loca Sacræ Scripturæ (n).

(f) L. commissa. 14. de publican. L. ult. C. si reus vel accusatus mortuus fuerit. Lucas de Penna ad L. 3. C. de exact. Lib. 12. quest. vel. & nov. p. 32 seq. Gail. 2. obs. 86.

(g) C. in sancta 41. de consecrat. dist. 1. & C. 10. de Hereticis.

(h) L. ult. de Primipilo. (i) Nov. 89. c. ult. (k) L. quisquis. 5. C. ad L. Jul. Maj. (l) II. Feud. 31. & 45. H. Pistor. II. feud. 19. n. 1. seqq. (m) Tabor. racemat. 1. n. 48. p. 17. 21. & 40.

(n) Exod. 20. 5. II. Reg. 21. & ult. Genes. 7. 21.

F I N I S





Strassberg, Diss., 1674-75

X 2617022

VD 17





Pa. J. 19 VIII.
Pub. II. num. 10.

GURALIS

XII.

1674 15b

LO,

16

NUMINIS

ITATE

PLISSIMI

IN ILLU-

NSIUM



e Honores

RALIA

i fstit,

VILLINGER.



AE TYPOGRAPHI,

